



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione August. ^{Hutteri}
- 2 Sadnel Eluciforans nos disp. 1.
- 3 Axiomas brevis de sacro physico casu in diuinis M. Fied. 3 Alduini
- 4 Disp. de Ora. Actu tum Hora tum officio. Hofmanni.
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. assertes ^{de p. t. q. 2. multa}
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni. ^{de p. t. q. 2. multa} ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De noticijs Dei & voluntatis ipsius Hofmanni
- 8 Drey vnterschiedli. beschreibungen an d. Consistorium zu
Leipzig, vnter abhoffung des Exorcismi
M. Georgij Lystarij.

Geß

Sammelband

30

71
DISPUTATIO XII.
DE EFFICACIA MINISTRI
STERII VERBI ET SACRAMENTORUM : Deq; Ministrorum
Ecclesiæ vocatione,

*Ex quinto, octavo & decimoquarto Augustanae,
Confessionis, Articulis :*

de cuius thesibus

SPIRITVS SANCTI FAVENTE NUMINE

Sub presidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theologiae Doctoris, & Professoris publici :

Respondebit

M. JOHANNES HERMANNUS
Oetingensis Rhetus.

Ad diem 22. Februarij, horis pomeridianis.



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno cl^o l^o XCVIII.



ILLVSTRI AC GE=

NEROSO DOMINO, DOMINO

GODEFRIDO, COMITI OETINGENSI,

Domino Svo Clementissimo, Mea

caenati benignissimo,

Debite subjectionis & gratitudinis ergo

Theologicum hoc *γύμνασιον* humiliter

dicat, consecrat, offert

M. JOHANNES HERMANNUS.

DE EFFICACIA MINISTE- rij verbi & Sacramentorum.

Thesis. I.

Ide justificari hominem, ceu organo quodam, apprehendente gratiam Dei, ac Servatoris meritum: precedente Articulo proximo expeditum dederunt Confessores nostri: Nunc de ejusdem acquirendæ medijs, ijdem Methodo pulcherrima usi, disserunt.

II.

Neq; enim virium humanarum effectus est Fides Iustificans, quippe quæ ad bonum emortuæ Eph. 2. 5. nihil boni ex se, tanquam ex se, vel cogitare possunt 2. Cor. 3. 5. nedum plena animi fiducia in gratia ac misericordiâ DEI Patris, & merito Christi acquiescere, & ex eo sibi indubitata *πεποιθήσει καὶ πληροφορία*, Hebr. 3. 6, Rom. 4. 21. favorem Dei, remissionem peccatorum ac vitam æternam polliceri.

III.

Sed DEI est opus Ioh. 6. 29. Spiritus Sancti est *χάρισμα* sive donum 1. Cor. 12. 9. qui donat nobis, & quidem gratis, Fidem: Phil. 1. 29. ac operatur in nobis velle & perficere. Phil. 2. 13.

IV.

Neq; verò DEVS *ἐμείσως*, immediatè, in hominum cordibus fidem excitat: sed *ἐμμέσως* sive mediatè (ordinariam si viam spectes) per Ministerium verbi & sacramentorum.

V.

Exponit igitur confessio nostra Articulo isto Quinto, eam Ministerij Ecclesiastici partem, quæ est de usu, sive utilitate, quæ ex eo homines capiunt, nimirum ut mediante Spiritu Sancto acquiratur Fides, qua meritum Christi ad salutem apprehenditur.

VI.

Quæstioni huic perquam cognatæ ac vicinæ sunt eæ, quæ tum de efficacia Sacramentorum à malis atq; improbis ministris administratorum: tum verò de vocatione ministrorum Ecclesiæ in genere moveri solent: quarum isthæc decimoquarto: illa octavo Confessionis nostræ Articulo pertractatur: Quas una vice expedire, haud fuerit inconveniens,

VII.

Cæterum quoad Articulorum istorum variationem, expertus est Quintus virgulam censoriam planè indignam, quippè quæ cramben illam de Evangelio prædicante pœnitentiam & arguente peccata, in præcedente Articulo costam, jam secundum recoquit: & alia minus commodè dicta immiscet: ac præter inanem τавтоλογία nimiam prolixitate, Confessionis modum excedit.

VIII.

Præbuit hæc mutatio hostibus veritatis cavillandi segetem valdè uberem: ut cum primis videre est apud And. Fabricium Leod. inconstantia & Pelagianismi nostras Ecclesias hoc nomine aperte insimulantem.

IX.

Sic enim ille scribit: *Viden, quam egregie Spiritus iste nequam* (Confessores nostros iste nequam sic appellat) *sibi consentiat?* *Hic enim in prototypo dicit, quod Spiritus Sanctus fidem efficiat: In altera verò editione affirmat, quod, postquam nos fide ereximus, simul detur Spiritus Sanctus.*

X.

Et post pauca infert: *Quid hoc est aliud, quàm πελαγιαρισμός? Quid hoc est aliud, quàm initia, & perfectionem justificationis nostræ proprijs viribus adscribere? Nam si velint dicere, quod possimus nos fide erigere sine Spiritu Sancto: Falsum igitur est, Quod per fidem detur: Antea enim habebatur.*

XI.

Et sanè Autorem posterioris illius editionis nonnihil intricatius de fidei donatione, quasi ea sine Spiritu Sancto fiat, diseruisse: ne ipsi quidem diffiteri possumus: & viderint φιλιππιζυτες, Quomodo αντιλογία istam, siue veram, siue φαινομένην, quam nostris Ecclesijs idè obijciunt Adversarij, ita conciliare queant, ut nullus dubitationis scrupulus maneat reliquus.

XII.

Nos litem hanc, non facimus nostram: quippe solo stantes Prototypo, qui docet per verbum & sacramenta donari spiritum sanctum, qui fidem postmodum efficiat in ijs, qui audiunt.

XIII.

Idem statuimus de mutatione octavi & decimi quarti Articulorum, cujus instituendæ quæ fuerit ratio vel causa, certè non liquet.

liquet, Supervacanea ergo prorsus censenda; & vel ideo proto-
typi puritati ac candori postponenda.

XIV.

Constat verò duorum primorum Articulorum ἐργασία
duabus illis partibus, confessionis hujus vel maximè proprijs:
θεσε expositione veræ sententiæ: & ἀντιθεσε remotione falsæ:
postrema verò, una duntaxat θεσε absolvitur.

PARS I. ΘΕΤΙΚΗ AFFIRMATIVA.

XV.

Θεσε secundum tres distinctos Articulos, tribus distinctis
constat quæstionibus: Quarum prima est, de Efficacia Ministe-
rij verbi & Sacramentorum: Altera, de usu & efficacia Sacra-
mentorum à malis Ministris administratorum: Tertia, in gene-
re de vocatione Ministrorum Ecclesiæ. De qualibet seorsim
agemus.

Quæstio I. De usu & efficacia Ministerij
Ecclesiastici.

XVI.

Quæritur igitur initio, Quis sit usus sive utilitas, quam
homines capiunt ex ministerio: non quidem Ministerio Legali,
sive Mosaico, quod n. hil nisi iram operatur, arguit, acculat &
damnat peccatum: Sed ex Ministerio Evangelij sive Novi Te-
stamenti.

XVII.

Respondet Confessio: ut hanc (Iustificantem) Fidem confes-
quamur, institutum est ministerium docendi Evangelij, & porrigendi
Sacramenta.

XVIII.

Docet igitur Confessio, initio, Fidem hominibus donari
per ministerium verbi & Sacramentorum.

XIX.

Affirmati hujus veritas nititur partim perspicuis sacrarum
literarum oraculis, extra omnem dubitationis aleam positis:
partim verò evidentibus Exemplis, quæ hac in Quæstione con-
firmanda ponderis momentique plurimum obtinere & possunt
& debent.

XX.

Et de Evangelij quidem prædicatione notum est illud Apostoli Rom. 10. 17. Fides est ex auditu; Auditus per verbum DEI: & quidem per verbum Evangelij, ipso interprete Apostolo, versibus præcedentibus 15. & 16. Et illud 1. Cor. 1. 21. Postquam in sapientia DEI non cognovit Mundus per sapientiam DEVM, visum est, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.

XXI.

Quam ob causam Ministerium Novi Testamenti sive Evangelij disertè nominatur ministerium non literæ occidentis: sed Spiritus vivificantis & justificantis in gloria 2. Cor. 3. 6. & seqq. Et potentia DEI ad salutem omni credenti Rom. 1. 16. Item semen incorruptibile, quo renascimur ad vitam æternam 1. Petr. 1. 23. Quod de verbo Evangelij intelligendum esse statim Petrus explicat, subiiciens v. 25. Hoc autem est verbum, quod annunciatum est vobis: Per quod etiam D. Paulus suos Corinthios se in Christo Iesu genuisse, scribit. 1. Cor. 4. 15.

XXII.

Probatum idem Exemplis eorum, qui ad conciones Apostolorum conversi sunt: ut in domo Cornelij, adhuc loquente Petro, Spiritus Sanctus cecidit super illos Act. 10. 44.

XXIII.

Idem de Sacramentorum usu ferendum est iudicium. De baptismo enim Christus ait: Ioh. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cælorum. Nemo autem absq; fide potest ingredi regnum cælorum. Ergo.

XXIV.

Et Marci 16. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: Ideoq; Rom. 6. 3. dicimur per baptismum baptizati in mortem Christi. Et Gal. 3. 26. Quicumq; baptizati estis, Christum induistis. Et Eph. 5. 26. legitur, quod Christus Ecclesiam suam sanctificet mundatam lavacro aquæ per verbum.

XXV.

Sic Tit. 3. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. 1. Petr. 3. 21. Baptismus nos quoq; salvos reddit, quo non carnis Jordes abijciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia respondeat apud DEVM. At hæc omnia sine fide fieri nequeunt. Ergo Baptismus fidem conferat necesse est.

De

XXVI.

De cœna Domini testatur Apostolus, mediante pane & vino dispensari nobis corpus & sanguinem Christi, Vnde *κονωσια* corporis & sanguinis ejus nominat 1. Cor. 10. 16. Cujus finis & usus est, ut hoc pretiosissimo pignore confirmetur nobis remissio peccatorum, quæ per traditionem corporis in mortem, & effusionem sanguinis est acquisita, Vnde fidem in nobis vel maximè confirmari, & beneficia Christi merito parta, nobis applicari, manifestum est.

XXVII.

Quam ob causam Sacramenta nominantur ab Apostolo *σφραγιδες* signacula justitiæ fidei Rom. 4. 11.

XXVIII.

Monachus à Daventria doctrinæ huic dicam scribit: & Ministerium quidem docendi Evangelij ideo institutum esse, ut fide ex ejus prædicatione consequamur, non negat: At ministerium porrigendi Sacramenta, eundem ob finem institutum esse, id verò falsum esse contendit.

XXIX.

Non enim (inquit Monachus) rectè & salubriter Sacramenta porrexeris, nisi prius credenti: secundum illud: Qui non crediderit, condemnabitur Mar. 16. 16. Et cum Apostolos mitteret Christus ad prædicandum Evangelium, præcepit, ut qui crederent, baptizarentur, increduli minimè. Ergo fides baptismi usum præcedat necesse est. Si præcedit; falsum igitur, per eundem illam demum conferri.

XXX.

Pari ratione in ijs, qui sacra *συνάξεις* dignè uti volunt, fides præcedat, necesse est. Non igitur per ejus usum, fidem demum conferri statuendum fuerit.

XXXI.

Sed benè habet: Distinctione triplici nodus iste facillimè dissolvitur: Nam 1. aut de Infantibus, aut de Adultis est questio. 2. Aut de Sacramento initiationis, quod est Baptismus: aut de Sacramento confirmationis, quod est cœna Domini, propriè controvertitur. 3. Aut de fide historica: aut de fide Iustificante, & hac quidem vel infirma & imbecilli, vel firma ac robusta quæritur.

XXXII.

Distinctionum istarum consideratione respondemus, veram esse Monachi hypothesin, Sacramenta sine præcunte fide salubriter

*Vide Falck.
Harm.
pag. 520*

briter tractari non posse) Si. 1. consideres Adultos, non verò In-
fantes 2. Si quæras, de Sacramento initiationis, quando illud
adultis confertur: & quidem 3. quoad fidem historicam.

XXXIII.

Neq; enim quisquam Adultorum baptizari debet, nisi pri-
us factus κατηχόμενος, & fidem christianam professus.

XXXIV.

Sic quoad usum S. cœnæ, vera est Monachi hypothesis:
Quoad fidem infirmam: Siquidem nemo quisquã ea salutariter
uti poterit, nisi aliquem, quantumvis etiam languidam fidem &
infirmam habuerit.

XXXV.

Falsa verò est isthæc hypothesis, 1. Quoad Infantes, & qui-
dem 2. respectu Baptismi: Qui profectò antequam baptizantur,
fide omni carent: ac hanc solam ob causam per baptismum inse-
runtur Christo, ut hoc medio fides ipsis conferatur & infunda-
tur, qua antè destituebantur.

XXXVI.

Deinde falsa est quoad adultos: in quibus fieri potest, ut
adfit fides historica: justificans verò demum per baptismum illis
conferatur.

XXXVII.

Tum falsa est, quoad firmam & robustam fidem, respectu
adultorum in usu utriusq; Sacramenti. Etsi enim jam antè adest
languida & infirma fides: tamen quod illa accrescit, confirma-
tur, & πληροφoσίαν aliquam concipit: id Baptismi & sacrae cœ-
næ præstat usus.

XXXVIII.

Aphorismum Christi Servatoris, *Qui crediderit, & baptizatus
fuerit &c.* nostræ causæ nihil quicquam officere, ex distinctione
Temporum liquidò apparet.

XXXIX.

Ad Gentiles enim missi erant Apostoli, quibus uti Evan-
gelium prius annunciatum non fuerat: Ita nec à Baptismo initi-
um conversionis fieri potuit, nec etiam debuit: quippe qui Ec-
clesiæ proprium est bonum, & extra eam administrari nullo mo-
do debet: Sed prius per prædicationem Evangelij colligenda
fuit Ecclesia, in qua fidem professi demum baptizarentur: quo-
rum baptizatorum liberi postmodum etiam eodem sacro initia-
rentur.

rentur. Distinguendum igitur accuratè inter Ecclesiam demum colligendam & constituendam: & inter jam collectam ac constitutam.

XL.

Vellicat porrò Adversarius B. Lutherum, ac nescio quam *And. Fabr. Harm. pag. 52, b.* ἀντιλογία doctrinæ ipsius, & Confessione huic nostræ assuere sagit: propterea quod scripserit Lutherus, *Hæreticam esse sententiam, Sacramenta novæ legis dare gratiam, non ponentibus obicem:* Confessores autem nostri contrarium statuunt, docentes in hoc articulo, per Sacramenta donari Spiritum Sanctum, gratiam, & fidem.

XLI.

Sed nugatur Monachus: pugnat Lutherus contra impium illud Scholasticorum dogma, qui fuerunt opinati: Sacramenta novæ Legis (Evangelium sic indigitabant rudes isti asini) conferre gratiam ex opere operato, propter solam usurpationem, etiam sine bono motu utentis factam: dummodò obex non poneretur, hoc est, (ut ex tenebris illis nos aliquatenus extricemus) peccati mortalis propositum in animo non hæreret.

XLII.

Quisquillas igitur istas expurgans Lutherus, docuit constanter: Sacramenta, non modo illo Pontificio, sed tum conferre gratiam, quando vera fide ea usurpantur: ac utriq; figmento Scholastico opponit duas istas hypotheses. 1. Sacramenta conferre gratiam, non ex opere operato, propter solum usum: sed mediante autore Christo. 2. Eadem prodesse, non modo non ponentibus obicem: Sed & vera fide illis utentibus.

XLIII.

Cui sententiæ num quicquam magis consentire queat, quàm quod à Confessoribus nostris est propositum, pius quisq; judicet.

XLIV.

Manet igitur adhuc firmum & inconcussum, Ministerium verbi & Sacramentorum ideò institutum esse, ut fidem per illud consequamur.

XLV.

Vbi tamen illud observandum, non hic notari finem illum instituti Ministerij hujus primarium & ultimum, qui est salus æterna, quam non ἀμέσως DEVS operari voluit: Sed finem proximum & ὑπάλληλον sive subordinatum, qui primario illi subservit.

XLVI.

Cujus finis respectu, Ministri verbi in scripturis nominantur
B servi

serui Dei, & Oeconomi sive dispensatores mysteriorum DEI
1. Cor. 4. 11. dati ad consummationem sanctorum in opus minist-
sterij Eph. 4. 12. positi à Spiritu Sancto, ad pascendam Ecclesiam
DEI, quam ille suo sanguine redemit. Act. 20. 28.

XLVII.

Cæterum *Modum*, quo fides in nobis per verbum & Sacra-
menta efficitur, satis argutè nostra describit Confessio, dicens:
*Per verbum & sacramenta tanquam per Instrumenta donari Spiritum
Sanctum, qui fidem efficiat, ubi & quando visum est DEO, in ijs, qui
audiunt Evangelium.*

XLVIII.

Primum igitur credituris, Spiritum Sanctum, per organa
ista, verbum & sacramenta donari, docet Confessio, quippe si-
ne quo fides in nemine exoriri potest. Solus enim Spiritus San-
ctus est, qui fidem in nobis excitat 1. Cor. 12. 9. Phil. 1. 29. Colos.
2. 12.

XLIX.

Excitat autem eam non immediatè, sed mediatè per ver-
bum & sacramenta: quæ sunt quasi ὀργανα Spiritus Sancti:
non quidem ἐνεργητικῶς sese habentia, quasi in sese hanc virtu-
tem illa obtineant, ut Spiritum Sanctum conferant: quemad-
modum fanatici nonnulli somniant: sed ὀργανικῶς duntaxat,
instrumentaliter.

L.

Deinde notatur etiam liberrima DEI voluntas in donan-
do Spiritu Sancto: dum additur; ubi & quando visum est DEO.

LI.

Vide Harm. And. Fabr. pag. 53. a. Sed hic rursus tumultuatur Monachus noster à Daventria:
scribens, Confessores nostros adeò delirare, ut nec seiplos in-
telligant: Siquidem statuunt, illis qui Evangelium audiunt, per
verbum & sacramenta dari Spiritum Sanctum, qui fidem in eis
operetur, non semper, nec mox, sed ubi & quando visum est
DEO. Ergonè (infert Monachus) Spiritus Sanctus datur infi-
delibus, impijs & scelestis? &c.

LII.

Mitesce verò Heraclite: Salva res est. Sophisma oritur ex
puerili captione vitiosæ διαπίστως. Neq; enim verba isthæc (*ubi
& quando visum est DEO*) connectenda sunt cum proximè illis
precedentibus (*Qui fidem efficit*) uti Sophista contendit. Hac
enim

enim ratione foret consequens, Spiritum Sanctum donatum homini, non semper aut statim efficere fidem: ac proinde etiam dari incredulis ac impoenitentibus. A qua blasphemia longissimè absunt Ecclesiæ nostræ.

LIII.

Sed sic instituenda est structura, ut legamus: *Per verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta, à DEO, ubi & quando ipsi visum sit, donari audientibus spiritum Sanctum, qui operetur fidem.* Unde nihil vel absurditatis vel impietatis elicere poterit delirus noster sacrificulus, si vel in omnes formas, Protei instar, se transmutaverit.

LIV.

Tandem exprimit etiam Confessio nostra conditionem, qua Spiritus Sanctus, fidei autor, ijs donari alleritur, qui audiunt Evangelium.

LV.

Intelligitur autem ille Auditus, qui fide & conversione omni, ac proindè ipso etiam Spiritu Sancto est prior: & à nondum conversis præstatur: id quod vel inde patet, quod Confessio solus Evangelij mentionem facit: Sacramentorum non item: siquidem ad horum usum nondum conversi, minimè admittuntur.

LVI.

Auditum istum in scholis Theologorum. Externum & carnale studium appellitare consueverunt, cujus facultas adhuc, post lapsum in viribus humanis residet: & ad locomotivæ disciplinam refertur: qua uti cuivis alij verbo dicto, aut prædicato. sic etiam verbo DEI in templis annunciato aures patulas præbere homo potest.

LVII.

Patet hoc scripturarum testimonijs & Exemplis. Rom. 10. 2. tribuit Apostolus hominibus merè carnalibus zelum, sive studium DEI, licet *ὁ κτ' ἐπιγνοσῆ*: & DEVS ipse apud Prophetam, Iudæis perituris, & à gratia alienis, adscribit famem audiendi verbi DEI, sive summum desiderium illius audiendi & discendi. dicens: *Ecce dies venient, & mittam Famem in terram: non famem panis, neq; sitim aquæ: Sed audiendi verbum Domini: & commovebuntur à mari usq; ad mare, & ab aquilone, usq; ad orientem circumibunt Quærentes verbum Domini, & non invenient.* Amos 8. 11. & 12.

LVIII.

Exemplis idem fit manifestius: Nicodemus nondum sanè renatus ad Christum venit, & veritatis viam addiscere satagit. Ioh. 3. 4. Herodes libenter & cum voluptate audire solitus Iohannem Baptistam: Marc. 6. 20. Sergius Proconsul Ethnicus desideravit audire Paulum & Barnabam. Act. 13. 7. &c.

LIX.

Neq; verò vel Pontificiorum opinioni, vel Synergistarum dogmati, quicquam nostra hæc sententia patrocinatur. Haud enim quicquam aliud, quàm naturalem auditum & iudiciũ quaecunq; carnale homini concedimus: neq; admittimus ipsum suo hoc auditu gratiam DEI ullo modo vel antevertere vel promoveri.

LX.

Auditus enim iste, Medij, organi, sive instrumenti divinius ordinati rationem habet. Ita namq; DEO visum est, per verbum prædicatum & auditum operari fidem: & hac sua ordinatione omne nostrum studium & conatum audiendi, antevertit: DEVS: non modò generali ista ratione, quod aurem ipse plantavit, & facultatem audiendi contulit Exod 4. 11. Psal. 94. 9. Sed & speciali illa, quòd audire verbum DEI possemus nunquàm, nisi Deus sua gratia antecedens, id verbum nobis immensa bonitate manifestasset: nisi etiam DEVS gratiam suam in eo obtulisset, priusquàm audiremus: &c.

LXI.

Vnde consequens: auditum non per se, sed ex ordinatione & instituto DEI, fidei conferendæ esse organum: ac proinde omnem respectum operis operati, sive meriti congrui modis omnibus expirare.

LXII.

Quare, ut rem explicatius proponamus, Quando Spiritus Sanctus per auditum istum externum dicitur esse efficax ad conversionem hominis: non statuitur principium conversionis Auditus noster: sed id duntaxat exprimitur, quod sequitur conversio.

LXIII.

Distinguendum igitur accuratissimè inter causam et ordinem rei. Ordo enim hic tantum notatur, non causa rei: neq; terminus ex quo fiat conversio: sed à quo fiat exprimitur.

LXIV.

Sic Synergismi suspicionem manifestè tollit distinctio inter auditum sive iudicium quaecumq; naturale, quod hominis viribus tribuimus: Nisi enim homo audire & aliquid iudicare posset, non homo amplius, sed bestia irrationalis foret: Deinde distinctio inter assensum tam languidum, quam firmum, quem utrumq; iisdem viribus humanis prorsus negamus. Verum in analysi Articuli XV III, qui est de Libero arbitrio, propria erit quaestionis hujus sedes: Ad alteram ergo quaestionem accessum faciemus.

Questio I I. Anne Sacramenta à malis administrata, suam vim & efficaciam obtineant: Et alium ministerio utendum.

LXV.

Quaestionis hujus Affirmativam nostra tuetur confessio Articulo octavo: *Licet, inquit, uti Sacramentis, quae per malos administrantur.*

LXVI.

Intelligit verò Malorum ministrorum terminò, non ἐν πλάτει omnes tã doctrinæ, quam vitæ ratione malos Doctores: sed restrictè eos duntaxat, quorum vita publicis flagitijs contaminata, & mores vitiosi sunt: doctrinã interim vel omninò, vel certè quoad Sacramentorum essentiam, corruptionis omnis ex parte.

LXVII.

Exemplo esse potest Iudas Ischariotes, cujus ministerio, licet ipse furti & proditionis esset reus, uti tamen fas fuit.

LXVIII.

Exemplo esse potest superiorum seculorum Ecclesia sub Papatu, ubi sacrificulorum Missaticorum ministerium in administratione Baptismi non fuit inefficax, ac proinde eo uti licuit, propterea quod Sacramenti hujus Essentialia, quantumvis aliqui humanis scorijs conspurcata, integra ac incorrupta manserunt.

LXIX.

Hodie verò luce Evangelij in integrum restituta, pro cuiusvis exeundum est è Babylone, neq; utendum Pontificiorum Baptismo

B 3

ptismo

ptismo (excepto casu necessitatis inevitabilis) nisi quis hac ipsa nota sive tessera testatum facere velit, se cum meretrice illa Babylonica fornicari.

LXX.

Quoad usum S. cenæ Dominicæ, ne in ipso quidem papatu superioribus seculis fas fuerat pijs mentibus ea uti: siquidem constat, tam non sacrificulos illos Missaticos, Sacramenti hujus Essentialia facta recta reliquisse, ut potius alteram substantialem ejus partem ex eo, ausu plusquam sacrilego fuerint suffurati.

LXXI.

Multò certè minùs hodie apud illos eodem Sacramento uti fas est, nisi quis non modò Idolomania Romanensium socium, sed & horrendi & detestandi hujus sacrilegij participem sese reddere velit: Quod utrumq; cum æterno exitio fuerit conjunctum.

LXXII.

Quod si majores nostri mutilo hoc Sacramento usi sunt, postmodum verò in vera fide unice acquiescente in merito Christi Servatoris, ex hac vita decesserunt: excusari illi possunt in tantum, sed non in rotum: ac proinde hoc ipsorum exemplum ad imitationem rapi nec potest, nec verò debet.

LXXIII.

Suâ igitur natura, & per se, verbum & sacramenta, propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, nec incredulitas hominum, DEI promissionem ac fidem evacuat. Rom. 3. 3. & 4. Quapropter si ipsorum essentia maneat incorrupta, nihil eorum efficaciam derogare potest administrantium hypocrisis & perversitas.

LXXIV.

Confirmat autem suam decisionem Confessio nostra, primum autoritate scripturæ, & quidem ipsius Christi, dicentis Matth. 23, 2. super Cathedram Moïsis, sedent scribæ & Pharisei: Quæcunq; vobis dixerint, hoc facite: secundum opera verò ipsorum nolite facere. Vbi egregia & videri Servator ijs obediendum esse docet, quatenus sedent in cathedra Moïsis: contra verò rejicienda ea, quæ ipsi de suo Legi admiscebant.

LXXV.

Altera confirmationis ratio est, quod sacramenta ritè & secundum institutionem Christi administrata, salvis manentibus partibus

partibus eorum essentialibus, suam vim et efficaciam non habent
à persona vel administrantis vel accipientis, ejusdemve conditi-
one, dignitate aut qualitate alia, sed in solidum ab ordinatione
& mandato Christi, auctoris & conditoris Sacramentorum.

LXXVI.

Etsi interim minimè negamus, quòd accipientis incredu-
litas & improbitas Sacramentorum efficaciam remorari & irri-
tam facere possit, non quidem respectu intentionis DEI, sed
propriae suae personae & infidelitatis respectu.

LXXVII.

Emergit inde illud discrimen inter integritatem & inter
vim Sacramentorum. Vtraque quidem non ex nostra dignitate
pendet, sed à solius DEI instituentis ordinatione & mandato;
adeò ut integritatem & perfectionem eorum quoad Essentialia,
neque administrantis neque accipientis personae conditio aut indi-
gnitas mutare queat: vim autem & efficaciam eorundem, non
quidem hominis dignitas promereatur: sed impietas ac indigni-
tas impedire possit.

LXXVIII.

Malus igitur minister (ratione morum ac vitae) non modo
integrum, sed & efficax Sacramentum præbere potest: Homo
verò malus, integrum quidem Sacramentum, sed non itidem
efficax accipit.

LXXIX.

Vnde Aphorismi isti Theologici, in hac quæstione deci-
denda vel maximè utiles, sunt nati. 1. Sacramenta non profunt
ex opere operato. 2. Sacramenta quoad integritatem & essenti-
am communia sunt bonis & malis: Quoad operationem verò si-
ve efficaciam salutarem, Bonorum duntaxat propria. 3. Sacra-
mentorum dignitas non pendet ex dignitate ministri; alioquin
enim nulla salutis nostrae certitudo constare nobis posset: liqui-
dem alienae conscientiae recessus nobis haud sunt pervij.

Quaestio III.

LXXX.

Cæterum quoad tertiam Quæstionem, de Vocatione Mi-
nistrorum Ecclesiae, suam sententiam Confessio nostra Art. XIV.
brevibus exponit, inquiens: *Docent (Ecclesiae nostrae) quod nemo
debeat in Ecclesia publice docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite
vocatus.*

Dum

LXXXI.

Dum ritè vocatis, Ministerij Ecclesiastici jura tribuit Confessio, haud obscure innuit, esse vocationis genus etiam aliud, quod illegitimum nominari queat, cum quis vel ipse malis artibus gubernationem Ecclesiasticam invadit: vel ab alijs, penes quos vocandi ministros potestas non est, Ecclesiae obtruditur.

LXXXII.

Est verò legitima isthæc vocatio vel Mediata vel Immediata.

LXXXIII.

Immediatè à DEO absq; omni interventu humanæ actionis vocati fuerunt olim Prophetæ, tandem etiam Apostoli: Vnde D. Paulus, se neq; ab hominibus, neq; per homines ad Apostolatum vocatum & segregatum esse testatur. Gal. 1. 1.

LXXXIV.

Interdum tamen in hac etiam immediata vocatione DEVS utitur opera hominum: Sed ita, ut aperta designatio divinitus facta, præcesserit: Quemadmodum Elisæum, prius voce divina Prophetam designatum, postmodum verò per Eliæ ministerium vocatum fuisse legimus 1. Reg. 19. 16.

LXXXV.

Immediata hac vocatione non utitur DEVS, nisi cum Ecclesia tota à genuina puritate doctrinæ cœlestis prorsus degeneravit: Ibi enim DEVS ex mera bonitate, modo extraordinario, verum Ecclesiae ordinem restituere solet: verum tale aliquid hodiè expectandum esse, haud arbitramur.

LXXXIV.

Mediata vocatio est, quæ divinitus quidem fit etiam, sed tamen non sine medijs à DEO approbatis: Qua ratione cæteri Doctores, pastores ac Ministri vocantur.

LXXXVII.

Cepit ortum suum isthæc vocatio, in Novo Testamento ipsis statim Apostolorum temporibus: qui, cœlestis doctrinæ veritate partim Christi ministerio & prædicatione: partim divinis miraculis confirmata, discipulos suos donis necessarijs instructos ad munus publicum docendi vocarunt.

LXXXVIII.

Quo modo Paulus & Barnabas per singulas Ecclesias presbyteros constituerunt, Act. 14. 23. Quem in finem Paulus etiam Titum

Titum in insula Creta reliquisse scribit, ut oppidatim presbyteros constituat, Tit. 1. 5.

LXXXIX.

Pertinet autem Ius hoc vocandi Ministros Ecclesiae non ad unum aliquem ordinem vel Ecclesiasticum solum: vel politicum solum, tam respectu magistratus, quam plebis: sed utrumque simul. Quod enim tangit omnes, ab omnibus etiam tractari & probari convenit.

XC.

Hunc ordinem observarunt olim Apostoli ipsi, ubi cum toto fidelium coetu consilium cepisse de constituendo Iudae successore perhibentur, Act. 1. 15. & Diaconi a toto fidelium coetu delecti, inq; officio constituti leguntur, Act. 6. 4. & 5.

XC I.

Qui tamen modus vocandi ministros ita postmodum augescente fidelium coetu mutatus fuit, ut ab ipsis Apostolis constituti sint presbyteri, qui Ecclesiae vicem quodammodo representarent Act. 14. 22. 1. Tim 4. 14. & quorum iudicio in vocatione statum fuit.

XCII.

Qui mos & postmodum in Ecclesia primitiva fuit observatus, ut patet ex Concil. Carthag. III. cap. 22. Dist. 63. Decretis juris pontificij, & adhuc hodie non inutiliter observatur, ut res haec ad presbyteria sive Consistoria Ecclesiastica devolvatur.

XCIII.

Quemadmodum autem olim presbyteria non constabant ex uno hominum ordine sive Ecclesiastico sive politico: sed ex utroq;: Ita consistorijs Ecclesiasticis hodie etiam praefici debent personae ex utroq; ordine delectae, non senio magis, quam pietate & prudentia graves.

XCIV.

Coronidis loco, de Lutheri vocatione sic statuimus; Eam fuisse mediatam, si commune docendi ministerium spectes: plusquam mediatam, ac heroicam plane, & ex mediata ac immediata quasi mixtam: Si singulare illud opus revelationis Antichristi consideres.

Pars II. ΑΥΤΙΔΑΤΙΚΗ. Falsarum opinionum condemnationem continens.

C

Circa

XCV.

Circa primæ Quæstionis veritatem graviter aberrant Anabaptistæ, & alij, qui statuunt Spiritum Sanctum contingere sine verbo externo hominibus, per ipsorum præparationes & opera.

XCVI.

Pertinent huc etiam Schwenckfeldiani, qui Anabaptisticum furorem revocantes, autumant DEVM nec fidem nec salutem per auditum & prædicatum verbum operari, sed immediata sua virtute, per arcanos raptus sive Enthusiasmos regenerare & salvare homines: abusi ad delirium hoc suum confirmandum autoritate scripturæ, quæ Christianos *ἡρώδης ἀπὸ τοῦ θεοῦ* doctos nominat, Ioh. 6. 45.

XCVII.

Quasi verò de immediata & Enthusiastica illa docendi via sermo esset Servatori: non verò de mediata illa, qua per verbum suum homines DEVS edocet.

XCVIII.

Prius illud nullo scripturarum testimonio confirmari potest: posterius hoc disertè comprobatur ipse Servator, statim subiiciens, Quisquis ergo audivit, & didicit, venit ad me. Et D. Paulus Thessalonicenses suos *ἡρώδης ἀπὸ τοῦ θεοῦ* nominans, statim modum ipsum aperit, cum in præcedentibus inquit: Evangelium nostrum fuit erga vos, non per sermonem solum, verum etiam per virtutem & Spiritum Sanctum 1. Thess. 1. 5, & cap. 4. 9.

XCIV.

Sic D. Iohannes Christianos, ad quos scribit, unctioe sive Spiritu Sancto doctos esse asserit: quos tamen Apostolorum ministerio ad fidem conversos fuisse, palam constat, 1. Ioh. 2. 27.

C.

Quemadmodum igitur Minister verbi, DEO non dante incrementum, neq; plantando neq; rigando, quicquam proficit, 1. Cor. 3. 7. Ita DEVS ipse, sine Ministerio verbi & Sacramento, fidem & salutem in hominibus (ordinariam actionem in speciebus) non vult operari: sed per illud vult esse efficax.

CI.

Quibus observatis, neq; Ministris tanquam hominibus, adscribitur, quod DEI est opus proprium: neq; tamen Ministerium debita sua spoliatur dignitate & efficacia. Sunt enim Ministri *ἡρώδης ἀπὸ τοῦ θεοῦ* sive cooperarii DEI, 1. Cor. 3. 9. Secundæ

CII.

Secundæ Quæstionis puritatem corrumpebant Donatistæ, qui Sacramentorum integritatem & efficaciam à Ministrorum qualitate & conditione suspendebant; Sophisma disparatarum causarum committentes, & organicam sive instrumentalem causam, cum efficiente imperitè confundentes.

CIII.

In tertiæ ac postremæ Quæstionis decisione, initio detestatur Anabaptistarum & Enthusiastarum vesanam libidinem, qui vel privata vel plebeia duntaxat autoritate, sibi docendi munus in Ecclesia sumunt.

CIV.

Deinde damnamus Pontificis Romani, ac ipsius sacrilegiorum sacrilegium, quo se solos CLERVM indignant, ac exindè ad se solos curam istam atq; potestatem Ministerij Ecclesiastici constituendi ita unicè pertinere dicunt, ut nulli alij ordini in Ecclesia juris aut potestatis quicquam in causa ista relinquunt.

CV.

Quod servitutis jugum diu à synagoga Romana toleratum, vel tandem Ecclesia feliciter quidem excusserat; at in idem tristi quopiam fato relapsa videri potest, dum hodiè *ordo politicus* jus vocationis Ecclesiasticæ in solidum sibi tanquam regale Politicum tribuit, mutatâ per perniciosam quandam μεταμόρφωσις, παποκρασία. in καίσαροπατία.

CVI.

Tum rejicimus etiã Sacramentorum morositatem, quæ uti cum ευσχημοσύνη καὶ εὐταξία Ecclesiastica propè universa, ἄσπονδου quasi πόλεμον gerunt: Ita hic quoq; parum referre autumant, quinam & à quibus ad Ministerium in Ecclesia vocentur.

CVII.

Hinc in ipsorum synagogis docentes publicè videas Cerdones & opifices, qui vix literas jungere didicerunt, vel certè in rebus Theologicis prorsus sunt ἀναλφάβητοι: Hinc ordinem Ecclesiasticum, quem DEVS peculiarem hierarchiam, & quidem primariam constituit, prorsus tollunt, vel vix majoris, quam ancillarum servitia faciunt.

C 2

Cæterum

CVIII.

Cæterum; Quemadmodum ad Ministerium Ecclesiasticum non admittendi, nisi qui à tota Ecclesia, constante ex ordine sacro, politico, plebeo, sunt vocati & probati: Ita etiam non sunt vel dimittendi vel eijciendi, nisi consensu & consentientibus omnibus istis tribus ordinibus hierarchicis.

F I N I S.



4/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



56







DISPUTATIO XII.
DE EFFICACIA MINISTERII VERBI ET SACRAMENTORUM: Deq; Ministrorum Ecclesiæ vocatione.

Ex quinto, octavo & decimoquarto Augustanae, Confessionis, Articulis:

de cuius thesibus

SPIRITVS SANCTI FAVENTE NUMINE

Sub prasidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theologiae Doctoris, & Professoris publici:

Respondebit

M. JOHANNES HERMANNUS
Oetingensis Rhetus.

Ad diem 22. Februarij, horis pomeridianis.



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,
Anno clb Is XCVIII.

